

11.

Viro Celeberrimo DD. Nic. Jacquinio s. pl. d.
C. Linnaeus Eques.

Datas Tuas d. 7. Augusti hodie opportune accepi, et legi multo cum oblectamento.

Aveo videre Scopuli Floram, annon noster Legatus reperiret occasionem transmittendi eam?

Miror adeo singularem plantam Swieteniae, cujus fructus est omnino Cedrelae.

Bombacis historia jam est mihi evidentissima.

Cherleriae semina quae mittebas non valebant.

Utinam Gronovius brevi mitteret Tuum opus quod carere nequeo ullo die; quivis dies exspectando mihi erit annus.

Aloën guineensem non novi quoad florem. Annon posset esse Alethris.

Gratias ago quod Chamae-Mespilum rite enucleasti.

Cacubalus acaulis quod sit Silene Tuis verbis mutabo et corrigam. juvenis in alpibus lapponicis forte non rite observavi.

Saginatam procumbentem et video me dudum exclusisse in meo exemplari.

Juncus uniflorus est Juncus trifidus.

Juncus ater est Juncus biglumis.

8 Planta alpina. Leontodon aureum. Hieracium alterum minus IV. Col. ecphr. 2. p. 31. t. 27. Taraxacum foliorum ductibus triangularibus, sine subrotundo Hall. helv. 740. t. 24. Dens leonis foliis exhinc subrotundis fl. aureis Rai err. 399. Segu. Vero. 3. p. 265.

2. Hieracium conyzoides. Hieracium alpinum latifolium villosum magno flore C. B. 126. Hieracium caule ramoso, folioso, fol. hirtis, radicalibus lanceolato-ovatis dentatis, caulinis amplexicaulibus cordatis.

3. Sagina procumbens est nostra. Petala habet sed